



QUÆSTIONES CONTROVERSÆ
DE
INCARNATIONE
CHRISTI.



I.
UUM instans S. Natalitii Festum nos moneat de magno illo Pietatis Mystério, (1. Tim. 3. v. 16.) quod Latini *Incarnationem*, Græci ἐνοσίχθων, ἐσωμάτων & ἐνανθρώπησιν appellare consueverunt; operæ mihi pretium visum est, de tam illustri materia theoremata aliquot ad publicam, eamque placidam, συζήτησιν proferre.

II.

Ac quum Satan, Mendacii Pater, penes alia hocce quoque Mystèrium omni tempore per varias hæreses atque erronea dogmata pervertere, sicque fidem Christianam, hoc potissimum fulcro subnixam, conquassare conatus fuerit, placet nobiliores istius Loci controversias paucis perstringere.

Novi, quæ in Mystèriis Sacris excutiendis curiositas est atque protèrvia ingenii humani, multas ventilari à Scholasticis & Sophistis de materia hac quæstiones: *An Incarnatio Verbi sit possibilis, nec ne? Quid addat Persona vel Suppositum supra naturam? An una Persona possit incarnari sine alia? Utrum tres Persona possint assumere eandem naturam numero? Qua sit formalis ratio terminandi incarnationem? An Deus possit assumere naturam rationalem? An in Christo sint plura esse? An in eodem sint dua filiationes reales? An Deus potuerit aliunde assumere hominem, quàm de genere Ada? Et, licuerit'ne Deo assumere hominem de sexu femineo? &c.* Quas quæstiones, cum aliis similibus, ut otiosas, inutilis, curiosas & ἀσώδεις νενοφώνους, hominibus otiosis, qui talibus περιελομασε sese pascere solent, haud difficulter relinquimus. Nostri propositi est, quod ad fidei nostræ βεβαίωσιν, DEI Verbo innitentem, conferre potest, persequi.